



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Calliopus Mart. 7. Aprilis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

226 VITÆ SANCTORUM. 7. April.
pecie, pectori ejus faces subdente, in reli-
giosam se familiam recepit, in quâ cale-
stibus promissis ascensus, ita probavit
aliis, ut Roschildensibus perasciceretur
Abbas. Et quia pii omnes adversis exer-
centur, nequaquam ab iis vir sanctus exi-
mius fuit, cæli nihilominus deliciis su-
stentatus. Gravius decumbenti S. Geno-
vefa virgo solamen & morbo medicinam
attulit. Morituro denique. Reparator no-
ster, Sanctis comitatus, conspicuum se
fecit, scilicet ne mortis larvâ terreretur.
Cælum Anno M. CC. II. subituro para-
rum solium ejus discipulus vidit, coro-
namque, rarum opus & Angelorum ma-
nibus elaboratum; sed gemmas GUILTEL-
mus suppediravit, virtutes suas, quarum
nos nomina fortasse scimus, & subinde
de pretio disputamus, sed subterfugimus
patientia scilicet pellum, sine quo nulla gem-
ma calatur. Ex Suario.

*Christus sit confabulator tuus: Christus
sit contubernalis tuus & convivæ; imò
Christus ipse sit tuæ deliciæ, ipse quoti-
dianæ refectiois epulum, ipse cibi sit in-
zime dulcedinis alimentum. S. Pet. Dam.
l. 7. Ep. 6.*

S. CALLIOPIUS MART. 7. Aprilis.

CALLIOPIUS eximiâ sanctitate
juvenis ad agenda Liberalia ab im-
piis invitatus, liberè abnuit, nefas esse
Chri-

Christianis dictitans, insanire cum ratione. Præfectus urbis Maximus extrema primùm comminatus, cùm nihil obiectis terroribus profecisset, versus ad blanditias, velut in dotem invitamentumque sceleris filiaë matrimonium promisit. Eam conditionem generosiùs etiam respicientem plumbatis contundi nervisque crudis foedè laceratum, in rotam jubet innecti, curvaturâ cultris obarmatâ, rogoque juxtâ validè flammante. Utriusque tamen metum discussit Angelus, qui & ignem oppressit, & rotæ volubilitatem conversionesque stitit. Theoclia mater, audito filii casu, in carcerem ad filium penetrat, vulnera obligat, gratisque vocibus prædicat, quòd Martyrem peperisset. Noctu inter precandum cælesti voce confirmantur. Damnato denique ad crucem *Calliopo*, mater pretio lictores obstrinxit, ut situ inverso statuerent crucem. Mira feminaë virtus in comparationem Machabææ vocanda. Ad supplicium velut triumphantem prosequitur, in cruce tanquam solio filium spectatura. Pendentem cælestis nuncius ad æternitatis gloriam evocavit mater amplexu stringens exanimam, pignus præmissum ad Superos filium è vestigio est insecuta. *Ex Metaphr. & Baron. in Not.*

Perpende & invicem confer tribulationem & gloriam; momentaneum & æternum; leve & pondus; gaudere & exultare.

228 VITÆ SANCTORUM. 7. April.
quia quod tribulationis sustinens, momentaneum est, quod gloriæ præstolaris, æternum est; leve est, quod toleras, pondus, quod expectas. S. Petr. Dam. l. 8. ep. 6.

S. AIBERTUS C. 7. Aprilis.

AIBERTUS stans à puero precationibus somnum distinguebat. Terram, originis memor, frequenter osculabatur: finemque respiciens, modico alimento moriturus utebatur. Cùm vitam S. Theobaldi Poëtici vincit numeris à vano homine demisset alius in pectus, in loca primùm sola recessit: Aquilæ deinde specie cucullum sibi offerentis excitatus, ad Monasticen se vocari intellexit; demum in solitudinem rediit finemque arctioris vitæ initiis æquavit. Ibi cùm, aditu aquarum eluvionibus obsessus, vitæ necessariis arceretur, Deipara virginum choro cincta buccam panis in os AIBERTI indidit, quâ exinde cibi inopiam annis duobus & viginti, duobus minus bibendi desiderium sustentavit. Cilicio corpus, inò innocentiam tegebat; neque enim castitas tutius habet involucrum. Centies quotidie procumbens, verba divinæ ad Deiparam legationis iterabat. Scamno solove somnum excipiebat, ingratum naturæ exactorem & pretiosi temporis furem multandum, non mulcendum
exi-